

qui, nimium eiusdem stimulis obediendum esse, arbitrati sunt, tenue et lymphaticum inueniatur, non possumus non certissime esse persuasi, difficilem, quin impossibilem utique esse feminis ad sanguinem regressum. Accedit praeterea, quod animalcula, quae spermatis inesse ferunt, detegere in liquore ex vesiculis redeunte nunquam potuerunt obseruatores, quae in conspectum tamen venire utique deberent, si semen rediret. Quae cum ita sint, a vero non absimilis esse videtur ea assertio, qua venis lymphaticis, vesiculis circumpositis, superflui aquosi humoris succio tantummodo conceditur, eaque praeparando semini admodum necessaria iudicatur, quippe sine qua consistentiam et indolem requisitam nancisci, prolificumque euadere illud nequeat.

Iam, cum satis de regressu, qualis fingi debeat, dictum putemus, dabimus operam, ut reliqua, quibus eundem stabilire posse perhibent, argumenta remoueamus. Ac primum quidem locum mereri illud videtur, quod ab feminis excretionem sumunt, (namque ab exiguitate vesicularum quam repetunt oppositionem, eam facile ex eo nos refutare posse, sumus persuasi, quod spermatis in testiculis secretio admodum lente procedit, lymphaque cum eo separata magna in copia iterum resorbetur; atque adeo vesiculas, quamuis exiguum efforment cauum, satis amplas tamen esse, quae praeparatum sperma retinere possint, apparet) quam itaque feminis excretionem, etiamsi diutissime cohibeamus, nulla tamen incommoda sequi asserunt. Quum autem in aliis hominibus ea boni sanguinis copia haud inueniatur, quae magnam spermatis secretionem pati possit, aut, tametsi spermatis secretio in iisdem bene procedat, tam tenue idem tamen fit, ut maxima pars per lymphatica vasa iterum redeat: in aliis contra, quibus forte vesiculae, deferentes ductus et epididymides spermate secreto, eoque per tenuis humoris resorptionem crasso reddito, repletae sunt, viae tamen, quibus sanguis, sine spermatis secretionem passa, ex testiculis redire queat, liberae manent, nulla